

ipsis de remedio providere opportuno. Nos autem volentes et prefate Ecclesie commoditati et dictorum Regnicolarum nostrorum quieti equo dispensacionis moderamine providere, volumus igitur et fidelitati vestre harum serie firmissime committimus, aliud in omnem euentum habere nolentes, quatenus habitis presentibus, prefatas decimas frugum, bladorum, vinorum, milliorum, aliarumque omnium rerum, decimari hactenus solitarum, per prefatos decimatores annotati domini Osualdi Episcopi et successorum suorum, iuxta moderacionem et limitacionem duorum Regum Hungarie, nostrorum scilicet predecessorum, in priuilegiis eorundem contentam, et adiudicacionem nostram cum Prelatis et Baronibus Regni nostri superioribus annis, imprimis in oppido nostro Crisiensi in Anno Domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto, et deinde Bude in Millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, superinde factam, semper temporibus debitis et congruis, videlicet fruges statim post messem, vinum vero et millium post vindemiam dicare, dicatasque per ipsos regnicolas nostros ipsi domino Osualdo Episcopo et suis successoribus, ipsorumque decimatoribus infra terminum, in ipsis litteris nostris declaratum, per omnia remedia opportuna et grauamina, in talibus fieri solita, exoluere et reddi facere debeatis et teneamini. Qui quidem Regnicole, si huiusmodi decimas vsque terminum, in ipsis litteris nostris adiudicatoriis expressum, soluere recusarent. vel eorum aliqui recusauerint, extunc ipsos ad soluendum easdem iuxta tenorem et continencias earundem litterarum nostrarum adiudicatoriarum, similiter per omnia onera et remedia opportuna compellere modis omnibus debeatis; volumus tamen et fidelitati vestre rursus committimus, quod si forte prefatus dominus Episcopus aut eius decimatores contra huiusmodi nostram adiudicacionem, limitacionem et decisionem ipsos Regnicolas nostros ad aliquas superfluas aut maiores exactiones siue per censuras, siue aliter cogere et compellere niterentur, eisdem regnicolis nostris assistere et eosdem in hac parte contra ipsum dominum Episcopum et suos dicatores defendere debeatis, atque decimas huiusmodi non aliter, quam in dictis litteris nostris adiudicatoriis continetur, exigere permittatis, auctoritate nostra presentibus vobis in hac parte attributa, et iusticia mediante, secus non facturi, presentibus perlectis, exhibenti restitutis. Datum Bude feria sexta proxima post festum beati Bartholomei Apostoli Anno Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, Regnorum nostrorum Hungarie etc. Anno vigesimo septimo, Bohemie vero sexto decimo.

*(Locus Sigilli Regii in inferiori margine appressi)*